DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE APOPLEXIÂ,

QUAM, ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS GUILIELMI GARNIER,

MATHESEOS MAGISTRI, PHILOSOPHIÆ NATURALIS DOCTORIS,

ORDINIS MATHEMATICI ET PHYSICI PROFESS. ORDINARII.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATÛS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

Petrus Stalins, Rothnacensis.

DIE 11 JANUARII MDCCCXXIII, HORA UNDECIMA.

GANDÆ, TYPIS A. I. VANDER SCHELDEN, IN PLATEA DICTA ONDERSTRAETE.

Opiniones in dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ, et à facultate medicâ nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

MATERTERÆ G. LANNEAU,

Amantissimæ

HAC STUDIORUM PRIMITIAS

DICAT AC VOVET

Auctor.

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS

DE APOPLEXIA.

§. I.

De adæquata Apoplexiæ definitione.

INTER varios, eosque dirissimos, quibus gens humana submittitur morbos, sese offert apoplexia: morbus, cujus sedes nobilissimum encephali organon; quem plures auctores confonderunt cùm aliis quibusdam affectibus illicò mortem inferentibus; cui veteres diversas, quanquam à statu corporis illo morboso depromptas definitiones dederunt, quibus minimè hunc à præternaturali statu, in quo plurima apoplexiæ propria offenduntur symptomata, distingunt; sic enim habet Galenus: (1). « Apoplexia est detentio mentis cùm ereptione sensuum et corporis resolutione: item apoplexia, abolitio est in nervis

(1) Galen. defin. Medic. N.o CCXLVII

omnibus sensûs et motûs. » Per quam definitionem, non magis ac per illam Aretæi, quæ sic sonat (1) » Apoplexia totius quidem corporis, et sensûs, et mentis, et motionis resolutio est « distinguitur apoplexia à syncope, inqua omnes sensus et motus pariter abolentur. Videtur hanc difficultatem sensisse Aretæus; nam in eodem capite definitioni apoplexiæ subjungit Lipothymiam, quam sic describit (2): « genuum resolutionem, sensûsque per aliquantum temporis stuporem, examinationem, et casum Lipothymiam, id est animi deliquium vocitamus. » Ex quibus apparet quod Aretæus apoplexiam ab animi deliquio imprimis indè distingui voluerit, quòd non multo tempore permaneret hoc malum. Verùm quidem est, ab animi deliquio sæpè post pauculum temporis excitari ægros; interim tamen et observata docuerunt in perfecta syncope diù quandoque hæsisse homines, imò et pro mortuis habitos, posteà revixisse. Adeoque nec sic integrè tollitur hæc difficultas, quæ ex data definitione oritur. Undè patet optimè in descriptione sua addidisse Æginetam (3) respirationem apoplecticis superesse, et pessimum in hoc morbo signum esse, si respiratio intermittat, aut magnâ cùm violentiâ fiat.

§. II.

At quanquàm Galeni Aretæique definitio, si eis, cùm Ægineta, adjungatur, superstite respiratione, satis adæquata videatur, attamen quo-

(1) De causis et signis morborum diuturnis. Lib. I, cap. VII, pag. 33.
(2) Ibidem.
(3) Lib. III, cap. XVIII, pag. 31.

niam in omni apoplectica affectione non observatur plenaria sensuum motuumque abolitio, cùm in leviori ejus gradu sensus et motus quodammodo adhuc supersint, utramque claudicare facilè apparet: junge huic considerationi peculiarem respirationis statum hìc penitus neglectum esse, quo à morbo non minùs fatali, sed ab eo planè diverso, vel et primo adspectu discernitur: adde quoque et statum pulsûs omissum esse, qui etsi non constanter, tamen plerumque, stante primo tempore morbi insultûs, et id pro specie, idem reperiatur.

§. III.

Ex omnibus jam dictis clarè patet, quòd, licèt satis firma ex Galeni aut Aretæi definitione, additâ respirationis persistentiâ, diagnosis fluat, per quam ab aliis morbis distingui apoplexia potest, melior tamen sequens sit, et adæquata definitio: « Apoplexia est subita sensuum motuumque voluntariorum imminutio seu abolitio, cùm sopore plùs minùsve profondo et respiratione stertorosa, superstite motu cordis et arteriarum; pulsu ut plurimùm pleno forti et lento; nunc inæquali sibi inconstanti, intermittente et parvo. »

§. IV.

Hæc enumerata apoplexiæ symptomata, adæquatam inter se constituere definitionem, adeoque ad firmam hujus morbi diagnosim instituendam sufficere, per quam ab aliis affectibus, qui unum alterumve vel et plurima hujusmodi symptomata præstant, dignosci valet, vel ex eo patet, quod nunquam in eodem gradu, nec in eodem connubio in his existant: nam missa facta syncope, cujus ab apoplexia distinctionem jam indagavimus, nec in paralysi, quanquam adsit mus-

culorum resolutio , encephalon afficitur: nec in catalepsia et tetano laxitas muscularis , sed rigor : nec in epilepsia musculorum quies ; sed convulsio clonica : nec in lethargo, paralysis et stertorosa respiratio observatur.

§. V.

Verùm tamen duo supersunt corporis status, qui tantam cùm exquisito et propriè dicto apoplectico analogiam præbent, ut vel et expertissimus etiam medicus, ni ad prægressa animadvertat, hos, saltem primo intuitu, apoplecticos existimare valeat.

§. VI.

Hi duo status, quorum alter somnus profondus, quo exhausti homines laboribus, et diuturnis imprimis vigiliis, quandoque tali opprimuntur modo, ut à nullis, etiamsi validis sensus afficientibus causis, excitari queant : alter excessûs potuum fermentatorum filius, et nomine ebrietatis insignitus, quæ si summa est, non minùs ac profondissimus sommus, cuncta essentialia in forti apoplexia obvia symptomata præ sese fert.

§. VII.

Jam sat sufficienterque acceptabilem apoplexiæ definitionem indagavimus, præcipuaque morborum distinctiva, quibuscum confondi posset, symptomata notavimus : nunc antequam ad ulterionem morbi nostri considerationem transcendamus, quædam de signis ejus prodromis præmittenda sunt.

§. VIII.

De Symptomatibus prodromis.

Quanquam apoplecticus insultus semper quibusdam signis prævidêri haud valeat, tamen nisi fiat a valida et sibi sufficiente causa, quædam præcedunt, quæ docent manifestè, quòd incipiant turbari vel saltem minùs expeditè peragi encephali functiones, uti sunt : vertigines ; scintillæ antè oculos ; aurium tinnitus ; dolores capitis et temulentia, somnus subitò protractior ; somnia quibus frequenter expavescit æger ; incubus ; lassitudinis et stuporis sensus in membris ; linguæ balbuties ; inflatus superiorum ; nisus ad epistaxim ; respiratio solitò profondior ; memoria vacillans ; tremor labiorum ; deglutiendi difficultas ; nausea et vomitus a corporis exercitio.

§. IX.

Hæc signa apoplexiæ sanguineæ à congestione procatarctica in ea ab innanitione penitùs non observantur. Quid ? persæpè ut illa à subita ruptura vasorum, nullis, quæ denotant eam imminentem esse, signis prægressis, repentè invadit.

§. X.

Verùm si prodoma signa adsint, longè alia sunt, quàm ea, quæ congestionem ad caput monstrant : à paralytica enim nervorum affectione petenda veniunt : ut ex tremore labiorum ; involuntariis maxillarum motibus ; palpebrarum colapsu ; linguæ movendæ difficultate ; surditate ; formicatione in extremitatibus, quæ omnia vis sensiferæ et motricis defectum indicant, clarè ostenditur.

§. XI.

Enumeratio Symptomatum in apoplexia obviorum.

Ubi §. III. Definitionem dedimus, ea tantùm notavimus symptomata, quæ ad apoplexiæ distinctionem ab aliis morbis requirebantur. Nunc verò ordine cuncta recensentur quæ ingruente et stante morbo observata sunt, scilicet: motus abnormes musculorum præcipuè capitis: hinc frequenter faciei, labiorum, oculorum, extremitatum totiusque corporis distorctio; hinc anxiæ præhensiones capitis abdominis tunc et inintelligibilis balbuties. Eo momento quo ægrotans motum valuntariorum amisit procumbit manetque immobilis in eodem situ; nunc abolitio sensuum; defectus sensilitatis et concientiæ in ægro aboriuntur; jacet membris prolabentibus et resolutis; somnus profondus intrat, oculis modo apertis, languidis, sæpè convulsivis; modo omninò clausis: os hiat, pendet maxilla inferior resoluta, saliva effluit: è corporis peripheria manat sudor frigidus, viscidus: animadvertitur sæpè in uno latere corpus convelli, in alterum resolvi aut resolutum jam esse: plerumque sequuntur alvinæ atque urinæ dejectiones involuntariæ. Perstant sanguinis circuitus et respiratio, quamvis admodùm irregulariter procedant. Pulsus subitò tardior perquam sæpè plenus, durus: temperatura aucta in sanguinea: pulsus inæqualis, sibi inconstans, intermittens parvus in nervosa. Quòd si pulsus cùm statu plenitudinis duritatem commonstrant, eodem tempore ingens cordis palpitatio observatur: hinc quoque facies coloratior, rubra tumefacta, tunica albuginea sanguine infusa: ubi in nervosa facies pallida manet, ac corporis temperatura vix augetur.

Respiratio et pulsus lenté perficiuntur nec naturaliter ; sed vario modo affecti , et id pro gradu concomitantis organorum respirationi deditorum paralysis.

§. XII.

De divisione.

Si causarum remotarum , quæ apoplexiæ ansam dare valent , earumque efficientium seriem perpendamus , peramplam indè deduci posse divisionem facilè convincimur : at quoniam praxi medicæ sufficiat bifaria hæc in sanguineam et nervosam , necesse non duxi varias alias ab auctoribus traditas hic recensêre : itaque relictis his ad diagnosim duarum illarum specierum transeamus.

§. XIII.

De diagnosi in specie

Consideratis iis , quæ. §. VIII et sequentibus continentur , hic multa non addenda esse quisque sentit : sufficiat ergo dixisse plethoricos , robustos , et habitu apoplectico donatos sanguineâ corripi : præcedere plerumque graves congestiones ad caput etc. quòd nervosa raRò prodromis præcedatur ; deficiant signa congestionis ad caput ; temperatura corporis non sit aucta , at contrà imminuta ; quòd pulsus sit debilis parvus intermittens , respiratio vix ac ne vix stertorosa.

§. XIII.

De autopsia apoplecticorum.

Multa et varia fuerunt detecta in cadaveribus eorum apoplexiâ de-

mortuorum ; nunc enim suggillationes telæ cellulosæ subcutaneæ ; tunc cranii exostoses cariesve ; duræ matris callositas ; superficies cerebri sanie, sero, et cruore perfusa, induratum ipsum cerebrum, ferè callosum ; tubercula in corpore striato ; materia puriformis lactea, serosa nec non sanguis ventriculos impliens, hique lacerati, glandula pinealis ad magnitudinem nucis juglandis adaucta, compacta purulenta ; inanitio vasorum cerebri, aër in iis vel inter piam matrem et cerebrum, vitia aortæ, venæ cavæ ; tumores in thorace existentes et venam cavam comprimentes ; morbi cordis, hepatis, lienis, pulmonum.

§. XIV.

De Exitu.

Apoplexia terminatur in sanitatem, alium morbum vel in mortem.

Terminatur in sanitatem dum levis est, 1° sudore ; sed sit æquabilis, calidus, formâ vaporis de corpore surgens : nam si parcus ; si in guttulas collectus hæreat cuti, mortis plerumque prænuntius est.

2°. Hæmorrhoidibus largis. Sanguis altrà modum vasa sanguinea encephali distendens apoplexiam producit ; adeòque omnia, quæ impetum sanguinis minuunt, medentur huic causæ. Hæmorrhoides largâ copiâ fluentes non modò sanguinis quantitatem imminuunt, sed et efficacissimè ejus impetum à capite derivant. Undè patet multum boni indè exspectari posse in apoplexia, quæ à nimia plenitudine vasorum encephali oritur.

3°. Fluxu menstruo restituto. Plus sanguinis boni conficit mulier sana quam ad proprii corporis usum requiritur, et ideò illud supe-

rabundans menstruâ evacuatione tollitur ; at non tollitur fluxû suppresso, nec per alias vias : plethora fiet. Verùm capitis vasa inprimis urgentur ab hâc plethorâ. Si ergo à mensium suppressione apoplexia nascitur, restitutus fluxus proderit.

4.° Alvi fluxû. Humoribus enim hic ruentibus, viscerum abdominalium vasa deplentur, et sanguini impulso minùs resistunt ; impetus humorum pulcherrimè à capite avertitur, quod magni momenti est in curà apoplexiæ.

5.° Epistaxi. Cùm autem in apoplexiâ sanguineâ arteriæ capitis impetû et copiâ valdè urgeantur, ratio patet, quare toties in hoc morbo tam salutaris sit.

6.° Vomitu. Causa apoplexiæ quandoque hærere in ventriculo cuique notum est. Sublatâ per vomitum illâ causâ, facilem solutionem sequi observata practica docent.

7.° Febre magno. Apoplexia febre solvi posse hippocrates jam observaverat : habet enim, (1). « Derepentè sanum capitis dolor prehendit, confestimque obtumescit, et stertit, et os hiat ; et si quis eum vocet aut agitet, solùm ingemiscit, nihil autem intelligit, et copiosè mejit, et se ad mictum non incitat. Hic nisi eum febris corripuerit, intrà septem dies moritur, quòd si corripuerit, plerumque sanus evadit ». Hîc tamen notandum, quòd de levi tantum apoplexiâ agatur, quia æger ingemiscit dùm agitatur, aut dùm vociferantur adstantes. Præstereà videtur illa apoplexia, de quâ agitur nervosa esse,

(1) De Morbis. lib. 1, cap. VII, charter, tom. VII, pag. 558.

quia mox addit : (1). « Hujusmodi autem morbus senibus contingit magis quam junioribus. Verùm et in alia apoplexiæ specie à febre multùm boni exspectavit : legitur enim in eodem loco, (2). « At si quis ex temulentiâ voce deficiat, si quidem jam confestim eum febris corripiat, convalescit; nisi verò corripuerit, intrà tertium diem moritur. » Pariter et Aretæus. Postquam jusserat in apoplexia nervosa, quam ipse frigidam vocat applicari acre clysma, spem salutis esse monet, si « paulùm excitatus æger fuerit, aut febre correptus. »

§. XV.

Verùm pulsus et respiratio crescunt pro rato, quo sensus motusque plus decrescunt ; uti et circà mortem : adeoque non semper illud pulsûs incrementum pro salubri febre habendum est ; sed tunc tantomodò, dum apoplexiæ symptomata, in ratione augmenti febris, emendentur.

§. XVI.

Fortis in alium morbum. Quam raró emergant ab apoplexiâ ægri absque ullâ superstite læsione functionum animalium, quis ignorat? Undè celsus optimè dixit, (3) «. Solent autem qui per omnia membra vehementer resoluti sunt celeriter rapi : at si correpti non sunt diutiùs vivunt, sed raró tamen ad sanitatem perveniunt, et plerumque miserum spiritum trahunt, memoriâ quoque amissâ ».

(1) De Morbis. lib. 1, cap. VII, charter, tom. VII, pag. 558.
(2) De Morbis. lib. 1, cap. VII, charter, tom. VII, pag. 559.
(3) De Medecin. lib. III, cap. XXVII, pag. 178.

§. XVII.

Superatâ enim causâ, frequenter vel in paralysim universalem vel partialem, ut hæmiplegiam etc. solet mutari, semperque (1) «. Memoriæ judiciique læsiones relinquit ». Verùm et miro modo sæpè mutantur animi affetus, quod et sapienti malpighio contigit, qui anteà calculi et podagræ dolores, et varia adversa tulerat magno animo; nam ab apoplexiâ et totius dextri lateris paralysi curatus (2) « Vi antecedentis morbi summoperè læsus fuit in memoriâ et ratiocinio; imò quavis minimâ de causâ solvebatur in lacrymas ».

§. XVIII.

Hæ verò solæ non sunt affectiones, quas apeplexia post se relinquere potest : soporem enim, hebetudinem, temulentiam, vertiginem, pusillanimitatem pro suis reliquiis agnoscit.

§. XIX.

At licet diximus §. XVI. Fortem apoplexiam transire in alium morbum; tamen haud raró aliquos post dies, non subitò igitur ut vehemens, mortem affert, imò quandoque ad vigesimum usque diem ægrum tenet : tunc recidivat et omnibus cum signis labefactati orgnanismi, infelix à vitâ migrat.

---

(1). Baglis oper. omn. pag. 681, 682.

(2) Boerhaas aphoris 1018.

§. XX.

De causâ proximâ.

Ex physiologicis edocemur, omnia tam sensuum quam motuum voluntariorum organa requirere sensorii communis in se efficaciam, ut functiones suas adimplêre valeant: ergò universaliter multùm impedita vel abolita illa efficacia causàm proximam apoplexiæ constituit.

§. XXI.

De prædispositionibus.

Vidimus §. XII. duas, inter se perquam distinctas, admissas esse apoplexiæ species. Hæ autem diversam agnoscunt prædispositionem, quæ in genere omnium maximè in sanguineâ observatur. Prædisponuntur ad sanguineam plethorici, quibus structura fortis, robusta, torrosa est, qui caput præmagnum habent collumque breve, scapula dilatata; qui ætatem inter 40um et 60um agunt; qui vitiis organicis laborant; quorum cor vi relatè majori donatum est ad cætera systematis sanguiferi organa; quibus sunt expansiones, dilatationes vasorum; tumores, indurationes hepatis, lienis; qui stomachum nimis onustant; quæ utero gerunt; sexus masculinus; ii quorum parentes fuerunt apoplectici: ad nervosam debiliores, irritabiliores, hysterici; qui morbos nervosos passi sunt, vel adhuc patiuntur.

§. XXII.

De Causis efficientibus.

Qualiscumque sit causa apoplexiam sanguineam efficiens perpetuò quærenda est inter eas, quæ impetum versus caput et congestiones augent: ut sunt motus violentiores; summæ animi intensiones; risus vehemens, tussis, cantus; nisus in alvo deponenda; subita temperaturæ immutatio; insolûtio; balneum imprudenter adhibitum; animi pathemata gravia : ut ira, gaudium, voluptas; hæmorrhagiæ habituales suppressæ, vomitorium perperàm assumptum etc. Nervosam efficere potentes sunt affectiones nervosæ; morbi systematis sanguiferi; febris intermittens maligna; virium nervosarum exhaustiones; humorum cacochymia; hæmorrhagiæ protractæ, dyarrheæ diuturniores; jactura seminis; animi pathemata deprimentia.

§. XXIII.

De Prognosi.

Apoplexiam periculosam, imò periculosissimum esse morbum, omnibus, qui vel cerebri summæ necessitatis in cætera æconomiæ animalis organa norunt actionem, cognitum est: adeoque hic tantùm agitur de majori minorive discriminis gradû, qui deducitur 1.° Ex charactere: sanguineâ minùs periculosâ quam nervosâ: hæc frequentiùs paralyses relinquit, et dependet à majori complicatione causarum. 2.° È fabricâ ægri: quò magis apparet habitum apoplecticum eò periculosior morbus; minùs si causa transitoria, eâque non validior. 3.° È vehemen-

tiâ symptomatum : quò graviora , eò periculosior , et vice versa. 4°. Ex ætate : senes hoc morbo correpti rariùs emergunt, quam juvenes ; in his tamen magnum etiam protendit periculum. 5.° È duratione morbi ; quò longior eò periculosior : si intra 7tem dies non curatur mors intrat vel immedicabiles paralyses. 6.° È complicatione : si cum febre , ad characterem febris est attendendum ; si cum typho pessima ; cum synochâ non adeò periculosa. 7.° È facie et quibusdam aliis : facies Hippocratica ; insensibilitas , immobilitas pupillæ , status suporosus delirium tranquille ; vomitus periodicè recurrens , absentibus sordibus gastricis ; sudores frigidi viscidi ; organa respirationis pessumdata , functiones horum impeditæ ; reditus potulentorum per os et nares ; pulsus ferè imperceptibilis inæqualis : quæ omnia mali ominis sunt , imò et quædam lætalia.

§. XXIV.

De Curâ.

Duas tantum, post alias , tanquam praxi medicæ sufficientes , in nostrâ divisione admissimus apoplexiæ species : videamus nùnc quamnam curam requirant. Sanguinea , ut pluries jàm monitum est, ponit impetum et congestionem ad caput : cuncta ergò , quibus ille impetus et congestio imminui et auferri valent, in auxilium vocanda sunt : ut venæ sectio generalis et quidem copiosa : nam uti Aretæus optimè monet (1). « Si minùs detraxeris , quam causa postulat , nihil magni per magnum auxilium contuleris. » Quâ institutâ , præsens levamen omnium symptomatum sequi solet illicò , si nundum vasa rupta

fuerint in encephalo, et sanguinem effuderint, vel nimis compressa fuerint tenerrima vasa à majoribus canalibus distentis. Imò in plethoricis quandoque sæpiùs repetenda est sanguinis missio, cùm ablata *parte* distendentis vasa sanguinis sopitus anteà et suppressus quasi motus subitò insurgat, et novum discrimen aucta subitò celeritas motûs circulationi inducat. Pulsûs autem plenitudo, durities, celeritas satis certa signa dant, ut determinare possemus, an repetitâ venæ sectione opus sit, an non.

§ XXV.

Laudârunt medici inprimis sanguinis missionem ex jugularibus venis, quia immediatè sic deplentur vasa encephali, his venis apertis. Præcipit tamen cel. Quarin (2) ex jugularibus sanguinem non mittendum, ni præmissæ fuerint venæ sectiones, ne ait, collo fasciâ constricto, vasorum encephali plenitudo augeatur. Interim tamen, quanquam hæc celebris Quarini sententia satis plausibilis videatur, opinor nunquam ex iis venis sanguinem detrahendum esse: fascia enim collum circumdans eum semper comprimit, et quamvis massa sanguinis prævia venæ sectione imminuta sit, comprimendo reditui sanguinis per venas à capite obstat, dùm arteriæ eum ad caput transferre pergant: sic vasa de novo ingurgitantur, dilatantur; et quidquid levaminis præcedente operatione attuleris evanescit. Laudant quoque venæ sectionem in pede, eo scilicet in casu, ubi ab hæmorrhoidibus vel mensibus sup-

---

(1) Lib. 1 cap. 4 pag. 81.

(2) Animadv. præt. in divers. morbus tom. 11 cap. 1 de apoplexiæ pag. 6.

pressis morbus natales suos duxit. Sed quid indè plus exspectant quam à venæ sectione in brachio ? an feliciorem derivationem ad partem ex quâ sanguis fluere consueverat ? sic est ; sed quo fondamento hoc initur, planè ignoro.

§. XXVI.

Venæ sectionem generalem, quæ meritò in curandâ apoplexiâ sanguineâ primum locum obtinet, 1.° Excipiunt locales, quæ ope hyrudinum vel cucurbitarum scarificatarum provocantur : illi applicantur ad tempora vel retrò aures ; ad anum si hæmorrhoides tumeant : hæc ad nucham. 2.° Remedia revulsiva, quæ congestionem ad alias partes favent : ut pediluvia tepida ; sinapismi ad suras vel plantas pedum. 3.° Enemata leviter irritantia, fomentationes frigidæ capiti applicatæ, quod si æger deglutire valeat leniora purgantia ex cremore tartari cum nitro præparata. Hic tamen status ægri et diæta omnem etiàm medici attentionem meretur ; auferantur quæcumque impedimento libero sanguinis circuitui esse possunt : temperatura aëris ægrum ambiens sit frigidiuscula ; caput pileo nocturno non tegatur ; capite elevato et nudato pectore decumbat : diæta sit strictissimè antiphlogistica, nec illicò reditis sensibus et motibus, derelinquenda est ; sed ad plenariam sanitatem ûsque continuanda.

§. XXVII.

De curâ apoplexiæ nervosæ.

Cùm hæc apoplexiæ species originem ducat à debilitate, omnia quæ in sanguineâ tentanda sunt hîc nociva forent ; et tota salus ab exci-

tantium usû exspetanda est : ut si deglutitio impedita est clysmata ex valerianâ, in quo additur assa fætida ; flores arnicæ ; moschus etc. : vesicatoria ambulantia ; frictiones cum camphorâ, aquâ coloniense : fomentationes calidæ aromaticæ capiti : ut infusio menthæ, additis æthericis : quod si deglutitio redeat, infusum valerianæ, florum arnicæ, oliorum aurantiorum, melissæ, menthæ ægro propinari possunt.

§. XXVIII.

De curâ prophilacticâ.

Cùm apoplexia, quam vëhementem vocavit Hippocrates, sit insanabilis, et altera, quam levem dixit, sit ut ipse monuit, curatu admodùm difficilis ; summis viribus obnitendum est, ut morbo adeò periculoso, omnis, quantùm fieri potest, præclusus sit aditus. Quocircà prædispositi, quotiescumque plethoræ sanguinis adsunt signa, venæ sectioni submittantur : alvum liberum servent ; caveant sese à somno et motu immediatè post pastum ; à morâ in conclavio calidiori ; usu ciborum flatulentorum ; animi violentis pathematibus, verbo : ab omnibus quæ sanguinis circulationem præter modum excitare, et ejus impetum versùs caput determinare valent.

TANTUM.

POSITIONES.

I.

Vitam definire mihi impossibile videtur.

II.

In circulatione arteriæ non sunt passivæ.

III.

Sanguificatio in pulmonibus peragitur.

IV.

Vesicatoria, stante inflammationis acutie, non conveniunt.

V.

Corticis peruviani usus in febribus intermittentibus quandoque perniciosus est.

VI.

Epilepsia non semper incurabilis est.

VII.

Divisio hydropis in acutam et cronicam pro praxi perquam necessaria.

VIII.

Plethoricis, fomite gastricâ laborantibus, non, nisi præmissâ venæ sectione, vomitorium propinandum.

IX.

Nitri usus in inflammationibus organorum urinæ secretoriorum non convenit.

Vidi nihilque reperi quod legis Acad. art. 56, *adversetur.*

F.-E. VERBEECK,

F. M. h. t. Decanus.